



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XIII. Obiectiones Atheorum dissoluuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

eos primum mutuis cædibus attritos, deinde Cimbris, Herculis, Gothis, Wandalis, Longobardis, aliisque barbaris diuisit, nunc tota Asia, præstantior Africa portio, & nobilis Græcia contempe religionis pœnas sub acerbo & duro dominio Ottomanidarum luit.

Omnes clades quæ vel vniuersum, vel partes orbis per vices exercuerunt diuinorum iudiciorum executiones sunt. Legimus, (inquit, Tertullianus in apol. cap. 40.) Hierapolim, & Delon, & Rhodon, & Coon insulas multis cum millibus hominum pessum abiisse. Memorat & Plato maiorem Asia & Africa terram Atlantico mari ereptâ. Sed & mare Corinthium terra motus ebibit. Et vis vndarum Lucaniam Italiae abscessam in Sicilia nomen relegauit. Antiquissima fuisse pœnâ, sed antiquiora tamen scelera quæ pœnâ comitem traxere. Narrant veteres Phæthonte rege impio, Græciam, Ethiopiamque incendiis vastatam, ipsum regem fulmine extinctum. In vltionem adulterii regnum Priami, & opulenta barbarica concessit in rogos, Sardanapalus Assyrius cum grege turpium vitorum, & mulierum, immensa luxuriæ finem fecit incenso palatio. Tullum Hostilium regem Romanorum iustissimum fulmen contriuit, incendia Ierosolymorum, Athenarum, Romæ, Sidonis, Tyri, Thebarum, Persepolis, Sagunti, Corinthi, Carthaginis, Numanitæ, Byzantii, Nicomedie, Aquileiæ, Parauii, Antiochiæ, Basileæ, Venetiarum, aliarumque urbium & crebro repetita legimus; terræ motus, aliaque incommoda taceo. Magna pietati regum ac populorum data præmia ostenderem, vt hæc etiam parte regnum suum Deo austruem, sed ad eam partem qua de pietate tractatur sum relegare malo; nam nulla res luculentius diuinum in republica imperiū, quam virtutis præmia demonstrant.

C A P V T XIII.

Obiectiones Atheorum dissoluntur.

S. I. **M**ULTA sunt quæ Atheis serio, imbecillis & imperiti discendi causa contra prouidentiam, ac Dei gubernationem obicere consueuerunt. Cum enim mundus sit, vt Euseb. lib. 15. definit. Σύστημα ἐξ ὁμογενῶν καὶ ἑτερογενῶν, καὶ ὁμοειδῶν καὶ ἑτεροειδῶν. Systema siue compages ex collo, aëre, terra, aqua, atque illis quæ in hisce sunt, naturis; cum sit communis hominum atque Angelorum ciuitas, ita vt vna ex toto orbe Respublica conficiatur, adeo vt Stoici cælum proprie ciuitatem dicant, nostras quas incolimus, dici quidem, at non esse ciuitates affirmant. Si igitur Respublica hæc ab optimo, prouidentissimo, sapientissimo principe, Deo gubernatur, optime etiam ac tranquillissime eam regi necesse est, & bonis bene, malis male esse oportet. Præmia bene meritis, supplicia impiis constituta sint. At vero inquit, in illa Republica mundi, in vasta illa ciuitate maior est sæpe malorum felicitas, nec modo humiles, & cœlestium inscias animas relum illud ferit, sed fortibus etiam, & munitis peccatoribus figitur. Quare bonis viris aduersa eueniunt, malis prospera? Hic prouinciam spoliavit, & in lucem bibit, & fruitur ut, inquit, ille *Dius iratis*.

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo.

Pompeius nullo, credimus esse Deos?

Ita apud Dauidem Psalmo 72. 9. *Posuerunt os suum: & lingua eorum transfuit in terra. Et dixerunt: Quod sit Deus? & si est scientia in excelsis. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo obrinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Existimabam vt cognoscerem hoc: labor est autem me-*

Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.

Vetus hæc igitur est querela:

Τὸ λαὸν κατεπαύειν, καὶ ἐπεὶ οὐκ ἐστὶ θεοὶ;

Κακοὶ γὰρ ἐντυγχάνετε ὑπερλόφιστοι μὲν.

Audeo dicere, summe Dei?

Mali enim felices attonitum me reddunt.

Alterum argumentum est, quod fere industria, labori, consiliis, astutiæ, & humanæ prouidentiae euenta respondent, non igitur ad alia conuerti hominum animos oportet, sed suo quemque ingenio, prouidentiaeque fidere. Hinc Spartani monebant, *Admotâ manu fortunam inuocandam*, & Attici *Ξὺν ἀδυνάτῃ καὶ χεῖρῃ ζῆναι*, cum Pallade, & manum moue. Nondum hi longe aberrant, peius ille.

Nullum numen abest, si sit prudentia.

Humanam enim, hoc est, miserrimam prudentiam numinis loco ponit. Et alii. *Quare Deus tam iniquus in distributione sati fuit, vt bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera prescriberet?* Itaque si Deus non facit, error, imprudentia, ignauia efficit. Romani orbem subegerunt, sed labore, audacia, patientia, iustitiæ specie, prudentia. Lacones imperium Græciæ tenuerunt, sed sua industria; omni in re si stratagemate utaris, non est, quod alium Deum quæras. Hinc impia & Deo pugnantia verba. *Sapiens ille plenus gaudio, hilaris, & placidus, inconcussus, cum Diis ex pari viuunt.* Seneca Ep. 509. *Nec ex pari modo, sed nec egeus Deo.* Idem Epist. 31. *Hoc est summum bonum, quod si occupas, incipis Deorum socius esse, non supplex.* Vt vero infantiæ summum apicem conspicias audi Sextium apud Senecam Ep. 73. *Solebat Sextius dicere, louem non plus posse, quam bonum virum. Plura Iupiter habet, quæ præstet hominibus: sed inter duos bonos, non est melior, qui locupletior non magis, quam inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui maior speciosusque nauigium est.* Et Seneca eo loco. *Iupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est.* Hæc illi, & exclamant: *Hæc itur ad astra.* Hic non modo sapientia, sed etiam felicitate homines Deo exæquant, adeo vt minus scelerate quidam dixerit. *Dextra mihi Deus, & cælum quod missile libro.*

Tertium argumentum. Quia indignum est diuinam maiestatem ad omnia etiam vilissima deuocare, ad vermium & formicarum fœtus, ad opera hominum quorum plurima aut vitiosa sunt, aut vitiis coniuncta.

Quartum argumentum est; Natura eodem cursu omnia peragit, circuitus cœlorum statim sunt, mutationes mundi inferioris suo modo etiam non admodum diuerse, animalium, & fruticum nascendi, moriendique perpetuæ vices, & hominum etiam pueritia, adoleſcentia, virilis ætas, & senectâ in omnibus pari modo succedens, ostendit naturam sibi sufficere, omniaque illa naturali quadam lege, & necessitate fieri, non autem alia quadam mente, quæ dominatum in naturam ipsam exerceat.

Quintum argumentum. Monstra nascuntur, errant igitur illa sapientissima mens, & in opere suo deficit. Hinc bicipites, tricorpores, centimani, sedigiti, & contrarij errore, vnoculi, vnimanj, quin etiam naturarum in sociabili coniunctione, semibones homines, semihominesque, boues, fœtus canino ore, simiarum manu, capripedes. Erratur & aliis modis, distortionem membrorum, magnitudine aliquorum membrorum, vel totius corporis, itaque Macrocheires, Gigantes, nanos sæpe producit operatrix fœssa, vel exuberans. Quorsu tot serpentium, herbarumque venena? tot ferarum formidines, insectorumque molestia, si nobis a Deo prouisum est? Atque hinc tam multa multorum contra opera Dei sunt querelæ. Hinc est quod Cotta academicus lib. 3. de natura Deorum, omnia Deo negat aut omnia

Industria nihil sine Deo.

Impiis Deo eger negant.

Libro secundo explicatur.

Felicitas malorum clades bonorum non tollunt prouidentiam.

omnia mala tribuit, etiam ipsa scelera. Si enim rationem, inquit, hominibus Dii dederunt: & malitiam dederunt. Est enim malitia, versuta & fallax nocendi ratio. Ex hisce conficiunt, Fortunam prudentiam, astutiam, scelera felicia, humanam vitam ac negotia omnia moderari, diuiniore providentia rationem nullam esse ducendam.

§. 2. Vetera hæc sunt non ab vno proposita, sed tamen vera, & solida dari responsio non modo à sanctis prophetis, sed patribus, & à philosophorum etiam præstantissimis consuevit.

§. 3. Primum vero argumentum plurimos semper mouit, ipsi Philosophi apud Ciceronem, & ipse Cicero lib. 5. de natura Deorum, vix Deos defendere possunt. Querelas ore Ciceronis proponam ac respondebo. Telamon, inquit, autem vno versu locum totum conficit, virum dñ homines negligant.

Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest. Debeant illi quidem omnes bonos efficere, siquidem hominum generi censulebant. Sin id minus: bonis quidem certe consulere debeant. Cur igitur duos Scipiones, fortissimos, & optimos viros in Hispania Pænus oppressit? cur Maximus extulit filium Consularem, cur Marcellum Hannibal interemit? cur Paulum Cannæ sustulerunt, cur Pænorum crudelitati Reguli corpus est prestitum? cur Africanum domestici parietes non texerunt? sed hæc vetera, & alia permulta. Propiora videamus, cur auunculus meus vir innocentissimus, idemque doctissimus, P. Rutilius in exilio est? cum sodalis meus interfectus domi sue Drusus? cur temperantia, prudentiaque specimen, ante simulacrum Vesta, pontifex Maximus est, Q. Scauola trucidatus? cur etiam ante tot ciuitatis Principes à Cinna interempti? cur omnium perfidiosissimus, Caius Marius, Q. Catulum, præstantissima dignitate virum, mori potuit iubere? Dies deficiat, si velim numerare quibus bonis male euenierit: nec minus si commemorarem, quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter, septimum consul, domi sua senex est mortuus? cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnauit? at dedit penas. Prohiberi melius fuit, impediri, ne tot summos viros interficeret, quam ipsum aliquando penas dare. Summo cruciati, supplicioque Q. Varius homo importunissimus, periit: sed, quia Drusus ferro, Metellum veneno sustulerat, illos conseruari melius fuit, quam penas sceleris Varii pendere. Duodequadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimus, & beatissima ciuitatis. Quam multas ante hunc in ipso Græcia flore Pisistratus, ac Phalaris, ac Apollodorus penas sustulit, multis quidem ante cruciatis & necatis: Et predones multi sæpe penas dant: nec tamen possumus dicere, non plures captiuos acerbe, quam predones necatos. Anaxarchum Democritum à Cyprio tyranno excarnificatum accepimus: Zenonem Eleatem in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrymari soleo, Platonem legens. Videsne igitur, Deorum iudicio, si vident res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prado felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viueret. Dionysius, de quo ante dixi, cum sanum Proserpine Locris expletauisset, nauigabat Syracusas, isque cum secundissime cursum teneret, Videsne, inquit, amici, quam bona à diis immortalibus nauigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, cum bene, planeque, percepisset, in eadem sententia perseverabat. Qui, cum ad Peloponnesum classem apulisset, & in sanum venisset Iouis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubus Carthaginiensium tyrannus Gelo, atque in eo etiam cauillatus est æstate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum: eiq. lancum palleum iniecit, cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemq. Aesculapii Epidauro barbati auream demi insit, neque enim conuenire, barbati esse filium, cum in omnibus sanis pater imberbis esset. Iam mensas argentæ de omnibus delictis insit auferri: in quibus quod more veteris Græcia inscriptum esset, Bonorum Deorum, vti se eorum bonitate velle dicebat. Idem victoriosas aureas, & pateras, coronasq. que simulacrorum porrectis ma-

nibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat: eaque se accipere, nō auferre, dicebat: esse enim stultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus, & dantibus nolle sumere. Eundemq. ferunt hæc, quæ dixi, sublata de sanis in forum protulisse, & per præconem vendidisse: exactæque pecunia edixisse, vt quod quique à sacris haberet, id ante diem certam in suum quidq. sanum referret, ita ad impietatem in Deos, in homines adiunxit iniuriam. Hunc igitur neque Olympius Iupiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero, diuturnoque morbo intabescens interemit: atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis regum illatus est: eamq. potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi iustam, & legitimam, hereditatis loco filio tradidit.

Concludit tandem hunc in modum. Improborum igitur prosperitates secundeque res redarguunt, (vt Diogenes dicebat) vim omnem Deorum ac potestatem.

§. 4. Primo quidem respondeo, multis in hominibus falli humanum iudicium, quos enim Cicero optimos vocat, & sanctissimos, eos multis sceleribus implicitis fuisse, & vt supplicia paterehtur, meruisse constat Scauola, Catulus, Drusus, Metellus, & alii, quos vt sanctissimos viros ab importunissimis cum cruciati trucidatos deplorat, mihi non multo videtur, inimicis suis fuisse meliores, ne Socratem quidem scelerum, & omnis contumeliæ turpissimum doctorem. Quis vero Romanos innocentes dicet, si eos quotidie arenas spectaculis affidentes iubere mortes fontium & insontium considerat? Vre, verbera, seca, occide: erant hæc verba solennia, & totius caueæ, quid maius Phalaris fecit? aut Pisistratus: qui pauciores ad suam tutelam, quam Romani illi viri optimi ad voluptatem occiderunt?

Secundo: Non sunt humana bona talia, quæ momentum adferunt ad felicitatem, nec mala quæ minus facere queant. Nam paupertas, exilia, quomodo grauius sunt, nisi sola æstimatione? An miser Fabricius, cum ad focum ipsas radices, quas in agro repurgando triumphalis senex vultit, cœnabat: an, vt ad nostra veniam, Patriarcha Iacobus cum hosti lapidem capiti supponeret, an Paulus & Antonius miseri ad fontem panem vescentes. Error est, iudicare nō esse felices, nisi in ventrem longinqui litoris pisces, & transmarina aucupia congerant, nisi exoticis condituris stomachi nauseantis pigritiam erigant, vt noua voluptate dapes nocituras accumulent? Vir bonus diues non est, improbus abundat. Quid igitur? Frugaliter hic viuere, ille flagitiose. Mullum quatuor librarum, & mediæ Tiberius Cæsar vendidit, Apicius, & P. Octavius licitati sunt. Octavius emit quinque millibus HS. hoc est, centum viginti quinque Philippicis. Sen. Ep. 95. An hic felices illi Ganeones, qui emerunt delicias, quas Cæsar vendidit? An miser vir bonus si emere non possit, quod Cæsar non concupiuit?

Caligula centies Sestertio cœnauit, & omnium ingenio opus fuit, vt mediocri provincia vectigal vna cœna fieret, præcium vero ad nostram monetam, est dicenta quinquaginta Philippum millia. Audiamus vel ipsos Gentiles, & diuites: Seneca conf. ad Heluiam. Quid tam multa conquiritis? scilicet maiores nostri, quorum virtus etiam nunc vitia nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum: quibus terra cubile erat: quoru tecta nondum auro fulgebant: quorum templa nondum gemmis nitebant. Itaque tunc per fictiles Deos religiose irabatur: qui per illos inuocauerant ad hostem morituri, ne fallerent, redibant. Scilicet minus beate viuebat dictator noster, qui Samnitum legatos audit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret: illa, quæ iam sæpe hostem percussit, laureamq. in Captiolini Iouis premio reposuerat. quam Apicius nostra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando Philosophi velut corruptores inuenturis, abire insitunt, scientiam popina professus, disciplina sua seculum infecit: cuius exitum nosse operæ pretium est. Cum sestertium nullies in culinam congestisset,

cum

Malorum
felicitas
summum
est impius
scandalum.

Quos opti-
mos iudi-
cant, sæpe
sceleratissi-
mi sunt.

Humana
bona, nec
felices, nec
mala faci-
unt misero-
ros.

Et tot conglaria Principum, & ingens Capitoli vectigal singulis commisationibus exorbisset, ere alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus insepexit. Super futurum sibi sefertur centies computavit: & velut in vltima fame victurus, si se fertur centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui sefertur centies egestas fuit? I nunc, & puta pecunia modum ad rem pertinere, non animi. Sefertur centies aliquis extimuit: & quod alii voto petunt, veneno fugit.

Non igitur in his Dei iudicium reprehendendum cum is felix sit, qui minus cupiat, infelix, cuius immodum incomprehensibile arbitrium est. Cuius cupiditati nihil satis est.

§. 5. At multi bonorum in fame, siti, carcere, servitute, tormentis vitam exigunt, dum interea omnibus suavitatibus improbi circumfluunt. Durior est eorum conditio fateor, sed tamen, hoc quoque diuinam providentiam nobis approbat magis, quā contumeliam. Magna est, etiam in publico talium exemplorum utilitas. Ratio hoc docuit infideles quod fides Christianos, nos probationes dicimus, illi exercitia. Omnia aduersa sapiens exercitationes putat. Marceret sine aduersario virtus, quid possit, patientia ostendit.

Seneca de providentia cap. 2. Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgent? Illi excitari iubent liberos, ad studia obunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrymas excutunt: at matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt: nunquam flere, nunquam trifari, nunquam laborare. Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortiter amat: & operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitantur, ut verum colligant robur. Languet per inertiam saginata: nec labore tantum, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vltimum ictum illa scilicet, at ubi aspidia sunt cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vltimo cedit: sed etiam, ceciderit, de genu pugnat. Hac Romanus sapiens.

§. 6. Deinde sunt medicamenta, atque à vitii auocamenta, profunt illis ipsis qui patiuntur. Audi Hieronymum in Ezechielem: *Que putatur pena medicina est.* Sed quia cum Atheis mihi res est: audiant eos quos ratio eo duxit, unde illi à fide excidentes prolapsi sunt. Pro ipsis est, inquit Seneca de providentia cap. 3, in exilium proci, in egestatem deduci, liberos, coniugem efferre, ignominia affici, debilitari? si miraris, hoc pro aliquo esse, miraberis quoddam ferro & igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaueris tecum, remedii causa quibusdam & radi ossa & legi, & extrahi venas, & quadam amputari membra, quæ sine totius perniciæ corporis herere non poterant: hoc quoque patieris probari tibi, quadam incommoda pro his esse, quibus accidunt, tam ne hercules, quam quadam qua laudantur atque appetuntur, contra eos esse, quos delectauerunt: simillima crudelitibus, ebrietatibusque, & ceteris qua necant per voluptatem.

Et paulo post: Veniamus ad Regulum, quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt aurem clauis, & quocumque fatigatum corpus reclinant, vulnere incumbit, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ. Vis scire, quam non pariter hoc prætio æstimasse virtutem? Resice tu illam, & mitte in senatum, eandem sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Macenarem putas, cui amoribus anxio, & morosa uxoris quotidiana repudia deflent, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lenè resonantium, queritur? Mero se licet sopiat, & aquarum fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentem auxilium fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille in cruce.

Calamitas virtutis occasio est. Hos itaque Deus probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis feruat. Erratis enim si quem iudicatis exceptum, veniet ad illum diu felicem sua portio.

Quisquis videtur dimissus esse dilatus est. Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut aliis incommodis, afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux letissimos mittit, qui nocturnos hostes aggreantur insidiis, aut explorent iter, aut presidium loco deiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit. Male de me Imperator meruit: sed bene iudicauit. Idem dicant quicumque iubentur pati, timidus ignauusque stibilia: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantam humana natura posset pati. Fugite delicias, fugite eneruatam felicitatem, qua animi permadescent, nisi aliquid interuenit, quod humana sortis admoveat, velut perpetua ebrietate sopiri. Quam speculativa semper ab adflatu vindicant, cuius pedes inter fomenta subinde, mutata tepuerunt, cuius canationes subditus & parietibus circumfusus calor temperavit, hunc lenis aura non sine periculo stringet. Cum omnia, quæ excesserunt modum, noceant, periculossima felicitatis intemperantia est. Mouet cerebrum, in vanas mentem imagines euocat, multum inter falsum ac verum media caliginis fundit. Quidni satius sit, perpetuam infelicitatem, quæ aduocat ad virtutem, sustinere, quam infimæ atque immodicis bonis rumpi? Lenior ieiuno mors est: cruditate dissiliunt. Hanc itaque rationem diu sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquid tu iniustos esse Lacedæmonios liberos suos credis, quorum experiuntur indolent publice verberibus admodum? ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac semianimes rogant, perseuerent vulnera præbere vulneribus. Quid mirum, si dure generosos Spiritus Deus tenet? nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos & lacerat fortuna: patiamur, non est sententia: certamen est, quo sapius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens usus agitat. Præbendi fortune sumus, ut contra ipsam ab ipsa dureretur. Paulatim nos sibi pares faciet, contemptum periculorum assiduitas periculi dabit. Sic sunt nauticis corpora: ferendo mari dura: agricolis manus trita: ad excutienda tela, militares lacerti valent: agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientia peruenit: quæ quid in nobis efficere possit, scies, si adspexeris, quantum nationibus nudis & inopia fortioribus, labor præstet.

Quare tamē bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri? Seneca de providentia l. c. 6. Ille vero non patitur. Omnia mala ab illis remouit, scelera & flagitia, & cogitationes improbas, & auda consilia, & libidinem cecam, & alieno imminentem auaritiā: ipsos tueretur ac vindicat. Nunquid hoc quoque, à Deo aliquis exigit, ut bonorum virorum etiam sarcinas seruet remittunt ipsi hanc Deo curam: externa contemnit. Democritus diuitias protegit, onus illas bonæ mentis existimasti: quid ergo miraris, si id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult sibi accidere? Filios amittunt viri boni, quidni, cum aliquando & ipsi occidant? In exilium mittuntur: quidni, cum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquunt? Occiduntur, quidni, cum aliquando ipsi sibi manus afferant? Quare quedam dura patiuntur? ut etiam alios pati doceant, nati sunt in exemplar.

§. 7. At mali felices sunt: vide sapientem eundem. Isti, quos pro felicibus afficitis si non qua occurrunt, sed qua latent videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum offendi, nitentur & imponunt eum aliquid incidit, quod disturbet ac deregat, tunc apparet quantum alta ac vera felicitatis alienus splendor absconderit.

Si placet audire pios & sanos doctores, rectius & liquidius illi providentiæ rationem nos docebunt. Augustinus de Gen. ad literam, libr. 11. Cur & hoc tentari permittit Deus? An quia probatur, & exercetur virtus, & palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari? cum etiam ipsi qui deserto creatore eunt post tentatorem, magis magisque tenent eos, qui in verbo Dei permanent, præbeantque illis contra cupiditatem deuotionis

exemplum, & incurrant contra superbiam timorem pium? Unde dicit Apostolus: Expendens te ipsum, ne & tu tenearis. Mirum est enim, quantum ista humilitas qua subdimur creatori, ne tanquam eius adiutorio non egentes, de nostris viribus presumamus, per scripturas omnes diuinas cura continua omnibus commendatur. Cum ergo etiam per iniustos iusti, ac per impios pii proficiunt, frustra dicitur: Non crearet Deus quos praesciebat malos futuros: cur enim non crearet, quos praesciebat bonis profuturos, ut & viles eorum voluntaribus exercendis; admonendisque nascantur, & iuste pro sua voluntate puniantur.

Mali felices
aeternis poe-
nis reser-
uantur.

Pro eterno
premio la-
bores sub-
eundi sunt.

§. 8. Tu malorum prosperitati inuides, aut etiam illacrumaris? quae causa est tantorum tumultuum, nonne etiam gladiatores sagina distenduntur, ut speciosius pereant, nonne in publico supremum cenant bestiarum? Quaestione soluit David, sed in saeculo Dei, & in nouissimis eorum. Quia mali cum hic differuntur, ad poenas sine fine referuntur; & boni, cum hic laborant, exercentur, ut in fine hereditatem consequantur.

Huius tanti praemii tam ardua maiestas, tam pura, atque honesta suauitas, tam secura atque inuariata aeternitas est, ut per liberrimos agendi patiendi-que labores, non per delicias, & terrena praemia tendere oporteat. Totum hoc quod vocatur genus humanum, omnis ista massa mortalitatis ventura est ad examen, ventura ad libram, appendentur ibi opera hominum cuncta. Modo nubes inuoluit, sed Deo cognita sunt merita singulorum. Noluit Deus auro iustitiam remunerare. Qualis enim iustitia quae propter aurum habetur? quasi preciosius sit aurum, quam ipsa iustitia, aut cum quisquam negat res alienas, magis damnum patiatur cui negat, quam ille qui negat: ille perdit vestem, ille fidem.

Spontanea
virtus sola
laudatur.

§. 9. Ad prouidentiam etiam vel maxime spectat, ut Deus causas, quas creauit, suis proprietatibus, & potestatibus relinquat, ut quas liberas fecit, in agendo libertatem illis permittat, hinc suum vnusquisque sibi defectum, non Deo imputare debet; neque enim laus virtutis est, nisi labor sponte, & honesto fine suscipiatur, neque vitati criminis vlla gloria, nisi illecebris voluntate contemptis. Qui timore innocens est, non est innocens, multo minus qui necessitate malus, aut bonus est, virtutis aut vitii laudem meretur.

§. 10. Veruntamen huius blasphemiae vnica causa est, cur dicant Deum oculos auertere ab operibus fidelium, malos autem beneuolentia prosequi, quod morte omnia finire arbitrantur, nec post fata superesse animae vitam, vel ad meritum praemia, vel poenas delictorum. At vero vel hoc primum est aternitatis iudicium, quo cognoscimus omnia hominum facta tandem aequari, quae hic tam inaequali poena, & premio censentur. Miraris non continuo occidi Neronem, annos quadraginta saeuire Siculum tyrannum. Miserrimum cum iudicia, cui tot anni in maiora tormenta verterint.

Impiis lenta vindicta excusationem aufert, poenitentibus dat tempus emendandi. Velles cum primum scelus quispiam admisit, poenam representari, inde ne pauci diu viuant, time ne te quoque celerit ultione fuisse debuerit.

Quaedam
mala & bo-
na Deus.

§. 11. Denique communia mala esse quaedam Deus, & obuia cunctis secunda esse voluit. Tertulianus in Apolog. cap. 41. Qui enim semel aeternum iudicium destinauit post saeculi finem, non praecipitat discretionem, quae est conditio iudicii, ante saeculi finem. Aequalis est interim super omne hominum genus & indulgens, & increpitans, communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis, ut pari consortio omnes & seueritatem experiremur; qui equitatem didicimus apud ipsum, diligimus leni-

tatem, metuimus seueritatem: vos contra vtramque despicitis; & sequitur ut omnes saeculi plage nobis si forte in admonitionem, vobis in castigationem a Deo obueniant. Atqui nos nullo modo ledimur: in primis, quia nihil nostra refert, in hoc aeterno nisi de eo, quam celeriter excedere: de hinc, quia si quid aduersi infligitur, vestris meritis deputatur. Sed & si aliqua nos quoque perstringunt ut vobis coherentes, letamur magis recognitione diuinarum predicationum, confirmationum scilicet fiduciam & fidem spei nostrae. Sin vero ab eis quos colitis, omnia vobis mala eueniunt nostri causa, quid colere per seueritatem tam ingratos, tam iniustos? qui magis vos in dolore Christianorum inuare & asserere debuerant, quos seperare deberent a meritis Christianorum.

§. 12. Mirum mihi sapientius videri solet, malos tanta supplicia luituros, in hoc etiam saeculo plerumque, & anxios vivere, & grauissimis confictari calamitatibus, exitus vero horribiles sorti. Sed tamen etiam in hac parte diuinæ iustitiae seueritas elucet, neque enim peccatores praesentibus bonis seculos degere permittet, quandoquidem multas futurorum metus parum contineret, & certa impunitas maximam ad crimen illecebram adferret.

§. 13. Secundum argumentum, in quo sibi mirifice placet argutia humanae prudentiae, erat ab euentu industriae, ordinarie enim bona consilia felices exitus habent, stolidi autem calamitosos, non est igitur alia prouidentia humanorum consiliorum moderatrix, aut emendatrix. Verum ista etiam ratio specie veri illudit. Neque enim omnia bene consulta feliciter ceciderunt, ut merito successibus careat, si quis ab euentu consiliorum integritatem aestimandam censet.

Neque tamen, si omnia quae consilio ac ratione in administranda Republica geruntur, prudenter instituantur, ad optatos semper fines perducerentur, nec vlla inquam temeraria coepa in bonum verterentur, ideo partes suae Deo in ciuitatis gubernatione adimenda forent. Vtriusque experientia, & ratio manifesta est. Consilia saepe optime instituta res minima conturbat, nec modo in vilia, sed etiam perniciose reddit, 1. Cor. 1. 19. Scriptum est enim perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens, vbi scriba? vbi conquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Magnam sapientiae opinionem habuit Aegyptus, quae a Iosepho erudita, Graciam excoluit, quis enim sapientium, cum Aegyptiis non egit? quid tamen Deus? Isa. 8. 10. Inte consilium, & dissipabitur. & 19. 13. Sapientes consilium Pharaonis dederunt, consilium insipientis. Quomodo dicitis Pharaoni filius sapientium ego, filii regum antiquorum? Vbi nunc sunt sapientes tui? annuncient tibi, & indicent, quid cogitauerit dominus exercituum super Aegyptum. Cur vero insipientis? quia ut num. 3. ait, consilium eius praecipitabo. Sed quia Athei sacris literis fidem non habent, sua ipsorum sapientia confutandi sunt. Quam magna sapientia multi legum latores Rempublicam fundarunt, ornaruntque, & in illis tamen legibus, quam misere laborare ciuitatem, & inter se collidi ciues coegerunt? Adeo vero multa sunt, ut Patriarcha Pseudopoliticorum libr. 2. disput. cap. 29. Fortunam dicat animis hominum tenebras obicere, ne vim suam ingruentem resingant, impie ille quidem, qui diuinam ultionem qua sapientiam illis negat, fortunae adscribit, accommodare tamen ad institutum, ut cognoscamus nunquam non euentu consiliorum humanorum in ancipiti esse.

Multa enim interueniunt, quae curas, & fallaces spes incidunt. Callida fraus erat Merii, sed vno eam verbo irritam fecit Tullius, cum suo iussu factum esset mentitus est. Dionysium a sceptro ad ferulam lupus redegit; nam literas cum carne e vidulo dormientis tabel-

Consilia quae
prudenter
videntur in
stituta saepe
sunt perni-
ciosa.

Machia-
uellus fortu-
nam ait te-
nebras ho-
minibus
obicere.

Magna co-
silia paruis
momentis
cadunt.

tabellarii intercept. Claudium protraxit miles, & casu imperatorem fecit. Commodi maturata mors fuit, quia Philocommodus chartam in qua descripta erant neci definatorum nomina pueriliter extulit. Quot praelia, quot exercitus una vox perdidit? & omnia consilia in nihilum redegit?

Medias causas sine summa causa considerant impij.

§. 14. Causa erroris blasphemi est, quod imperiorum initia, conuersiones, & interitus per causas intermedias ad eos fines valde idoneas, contingere videamus. Hinc enim totum euentum tribuunt causis quae apparent, causam aeternam etiam mediarum moderatricem ignorant. Cum ad occasum, & velut mortem suam vasta regnorum corpora tendunt, iam ante signa & criteria multa prudentibus apparent, quibus certo praefragio de futura ruina vaticinantur. Cum iam in lubrico staret Perfarum imperium, immanis luxur, ignauia, disciplina militaris ommissa, duces belli imperiti, ignaui, nec ulli cui fideres, nisi è Græcia, auaritia, contumelia in subiectos, ambitio, & inde discordia consiliorum, populorum alienatio, omnia mala accelerabant; fortitudinis, prudentiaeque dona tam sceleratis, tam arrogantibus diuina iustitia subtraxit.

Maiestas diuina omnibus inter est.

§. 15. Quod tertio loco adferebatur, non debere exiguis rebus adesse maiestatem infinitam, hoc neminem mouere potest, qui diuinum numen didicerit mentem esse infinitam efficientiam, quae omnes arenas maris, omnes vniuersi particulas in numero habeat; Deum esse, qui nihil anxius agat, nihil distractus, qui omnium rerum cognitione ac gubernatione, à singularum tutela non auocetur, cui omnes nostri capilli numerati sunt, à cuius cura nihil eximi potest, quemadmodum esse sine eo non potest. Non defuere veteres, qui rerum minimarum curam à Deo alienam ducerent. Plin. libro secundo, cap. 7. Irridendum, agere curam rerum humanarum illud, quicquid est, summum. An tam multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemus? Multo melius Epicæterus: *Te Deus nec in minimo fallo.*

Firma ratio est, si enim maiora Deus administrat, debet eius etiam esse potestas in minutis, igitur & prouidentia; nam ex minutis illis maxima constant. Non potuit mundum Deus creare qualem videmus, nisi eum ante totum pernouisset, totum cognoscere non potuit, nisi singulas partes inspiceret, quomodo enim animal crearet, si non venas, arterias, fibras, poros, omnium actionum instrumenta animo percepta, ac comprehensa teneret? Indignum igitur illa maiestate foret, rem vel minimam ignorare, minimam non semper clarissima luce intueri, esse aliquid quod vel ad momentum eius sensum cognitionemque effugiat, si enim aliqua latere & breui tempore latere Deum posse statuamus, non est causa cur non plurima, & longissimo tempore, imo omnia & semper latere dicamus. Cur enim illa quidem norit, haec nesciat? Dicam id quod ex hac ratione in ratione consequitur omnium impiissimum dogma. Nempe Deum si quædam ignorat, & fallitur, cum sit immutabilis, ne posse quidem illa vnquam discere: ideoque Deum illum, à cuius maiestate paruorum rerum procuracionem alienam censent, ne DEVM quidem esse, sed truncum, qui omnium rerum sit ignarus. Pollui maiestatem Dei rerum sordidarum contagio dicis, & solis radios sine contaminatione sui omnibus cloacis, & lacunis pestilentibus allucere negare non potes. Egregie Diuus Augustinus libr. 9. de ciuit. *Qui profecto incontaminabilis DEVS, absit, vt contaminationem timeret ex homine, quo indutus est, aut ex hominibus, inter quos in homine conuersatus est.*

§. 16. Quartum argumentum Dei regimen for-

tissime asserit: Non enim nisi incredibili sapientia, status omnium motuum ordo, elementorum pugnae & paritas quædam seruatur, quomodo n. fortuna aut casu semper eadem ratione nascuntur, aut intereunt? Qui vero ex corporum lineamentis colligunt animam esse mortalem, cur non potius ex animi perspicacitate, agilitate, mirabilique cogitandi, & ratiocinandi natura potius concludunt, tam spiritalem, ac diuinam vim corporatam non esse, nec morte corporis posse corrumpi?

§. 17. Quintum erat de erroribus naturæ, seu monstris, ea enim videntur esse non posse, si vniuersum hoc à Deo administratur, omnis enim erroris expers sit, necesse est.

Respondeo nihil contra communem Dei prouidentiam facere, naturæ in partibus suis aberrationem: *Deus est*, inquit S. Augustinus, libr. 16. de ciuit. c. 8. *qui ubi, & quando creari quid oporteat, vel oportuerit, ipse nouit.* Causam insinuat: *Sciens vniuersitatis pulchritudinem, quæ in partium, vel similitudine, vel diuersitate contextat.* Sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur: quoniam cui congruat, & quo referatur ignorat. Constat igitur, sua causa Deo, cur hos in rebus creatis permittat defectus, omnia enim illa quæ occultis mundi causis fiunt, sub prouidentia illa constituta sunt. Monstra hominum fabulosa historiae narrant, alios esse monophthalmos, alios veris post crura plantis, Sciopodas, Pygmæos, Astomos Onophthalmos, Cynocephalos, aliosque ipsa raritate mirabiles. Quos ego esse, aut fuisse, non adducor vt credam. Sed videntur historici illi de sua curiositate gloriantes, impunita vanitate mentiri. Si tamen talia fuerunt, & si homines fuerunt, placet mihi de illis S. Augustini iudicium libr. 16. de ciuit. c. 8. *Sed si homines sunt, de quibus illa mira conscripta sunt: quid si propterea Deus vult etiam nonnullas gentes ita creare, ne in his monstris, quæ apud nos patet ex hominibus nasci, eius sapientiam, quæ naturam fingit humanam, velut artem, cuiuspiam minus perfecti opificis putaremus errasse? Non itaq; nobis absurdum videri debet, vt quemadmodum in singulis quibusque gentibus quædam monstra sunt hominum, ita in vniuerso genere humano quædam monstra sunt gentium.*

Statuerunt vices diuinam prouidentiam asserunt.

Monstra multa ficta sunt.

Nec Aristoteles aliter sensit: *ἔστι γὰρ τὸ τέλει ὅσον ἐστὶν τὸ ἀτέλει, ἀλλὰ τὸ πᾶν ὅς ἐστι πολλὸν, ὁ δὲ γὰρ τὸν ἀπὸ τοῦ ἐξ ἀνάγκης ὅδῃ ζῆται καὶ ὅσα ἐστὶν.* *Monstrum est aliquid præter naturam, sed non omnem, sed eam quæ vt plurimum est viciata.* Nam præter naturam quæ aeterna est, & quæ ex necessitate est, nihil vquam sit. Itaque Deus, cum monstri aliquid nascitur, non ipse errat, sed causæ secundæ ob materiæ defectum, exuperantiam, intemperiem, & circumstantium impedimentorum violentiam nouum aliquid, aut rarum edunt, quod vniuersi varietatem exornat, quamuis in suo genere deformitatem habeat. Neque his magis Dei culpanda sunt opera, quam ea quæ in omnibus hominibus est, corporum magnitudo, paruitas, forma, quem enim ita omnibus membris temperatum ad amissim effinxit, cui non aliquid sit, quod in alio est decentius: quemadmodum igitur in tanta vultuum dissimilitudine diuinum artificium admiramur, ita nequaquam defecisse eius industriam dicimus, cum quosdam informes esse voluit. Causas naturales ita direxit, vt secundum vires sibi insitas, id, quod Deus vult, efficiant. Quantum sit artificium parua docent, rade supercilium quantum decotis corpori detrahatur: oculum paululum peruerte, formosissima facies deformis erit. Hæc igitur, vt occultis causis gignētū eueniunt, ita quoque occulta diuina prouidentia gubernantur. Optime S. Augustinus libr. 11. de ciuit. cap. 22. *Hanc tamen causam, id est, ad bona creanda, bonitatem Dei, hanc inquam causam, tam iustam atq; idoneam, quæ diligenter considerata, & pie cogitata, omnes controuersias*

Monstrum non est præter omnem naturam.

Si quædam Deus ignorat, etiam omnia ignorat.

querentium mundi originem terminat, quidam heretici non viderunt: quia egenam carnis huius fragilemque mortalitatem, iam de iusto supplicio venientem, dum ei non conveniunt plurima offendunt: sicut ignis, aut frigus, aut fera bestia, aut quid huiusmodi. Nec attendunt quam vel in suis locis naturisque vigeant, pulchroque ordine disponantur: quantumque vniuersitati rerum pro suis portionibus decoris tanquam in cōmunem Rempub. conferant, vel nobis ipsis, si eis congruenter atque scienter utamur, commoditatis attribuant: ita ut venena ipsa qua per convenientiam perniciofa sunt, conuenienter adhibita in salubria medicamenta vertantur: quamque a contrario etiam hac quib. delectantur, sicut cibus & potus, & ista lux, immoderato & importuno usu noxia sentiantur. Vnde nos admonet diuina providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere: & ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ita credere occultam, sicut errant quedam, quae vix potuimus inuenire: quia & ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio, cum omnino natura nulla sit malum nomenque hoc non nisi sit priuationis boni: sed a terrenis vsque ad caelestia, & a visibilibus vsque ad inuisibilia sunt aliis bonis alia bona meliora sed hoc inaequalia ut essent omnia. Deus autem ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quae parua non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt: sicut in specie visibili hominis, si vnum radatur supercilium, quam promodum nihil corpori, & quam multum detrahatur pulchritudini, quoniam non mole constet, sed parilitate & dimensione membrorum.

§. 18. Concludam hanc de Deo Reipublicae gubernatore disputationem insigni discursu S. Aug. de quo licet supra quoque actum sit, ab illo tamen viro omnium ingeniosissimo neruolius mihi exponi videtur.

De Gen. ad literam, lib. 5. c. 22. sic disputat. Et certe isti qui hoc negant, nec sanctis eloquiis tantae auctoritatis acquiescunt, fin hac mundi parte quam putant fortuitis mortibus perturbari, potius quam sapientia diuina summitatis regi: & hoc ut quasi probent, gemino abutuntur argumento, vel quod supra commemoravi, de inconstantia tempestatum vel de felicitatibus atque infelicitatibus hominum, quod non pro vita meritis accidunt, videntur tantum ordinem, quantum in membris carnis cuiuslibet animantis apparet, non dico medicis, qui hac propter suae artis necessitatem diligenter patefacta & enumerata rimati sunt, sed cuiuslibet mediocris cordis & considerationis homini: nonne clamarent, ne puncto quidem temporis Deum, a quo est omnis mensurarum modus, omnis paritas numerorum, omnis ordo ponderum, ab eius gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentire potest, quam eam totam esse vacuam nutu & regimine providentia, cuius extrema & exigua videas tanta dispositione formari, ut aliquanto attentius cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem: Et cum anima natura naturae corporis antecellat, quid est dementius quam putare nullum esse diuinae providentiae iudicium de moribus hominum, cum in eorum carne tanta eius solertia clareant & demonstrentur indicia? sed quia haec minima in promptu sunt sensibus nostris, & ea facile in vestigamus, elucet in eis ordo rerum: at illa quorum ordinem videre non possumus, inordinata arbitrantur qui esse non putant nisi quod videre possunt, aut si putant, tale aliquid putant, quale videre consueverunt. Nos autem, quorum gressus, ne in illam peruersitatem incidamus, eadem diuina providentia per sanctam scripturam regit, ex ipsis quoque operibus Dei eodem adiuvante indagare conemur, ubi hac simul creauerit, cum a consummatibus suis operibus requieuit, quorum species per ordinem temporum, vsque nunc operatur. Consideremus ergo cuiuslibet arboris pulchritudinem in robore, ramis, frondibus, pomis, hac species non vique repente tanta ac talis est exorta, sed quo etiam ordine nouimus. Surrexit enim a radice, quam terre primum germen infixit: atque inde omnia illa formata atque distincta creuerunt. Porro illud germen ex semine in semine ergo illa omnia fuerunt primum, non mole corporeae magnitudinis, sed ripotentiaque causali. Nam illa magnitudo copia terrae humoris

congesta est. Sed illa in exiguo grano mirabilior praestantiorque vis est, quia valuit adiacens terrae commixtus humor, tanquam materies verti in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusorem, in foliorum viriditatem, ac figuram in fructuum formas & opulentiam omniumque ordinatissimam distinctione. Quid n. ex arbore illa surgit aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum atque depromptum est? At illud semen ex arbore, licet non illa sed altera, atque illa rursum ex altero semine. Aliquando autem & arbor ex arbore, cum surculus demitur atque plantatur. Ergo & semen ex arbore, & arbor ex semine, & arbor ex arbore. Semen autem ex semine nullo modo, nisi arbor interueniat prius. Arbor vero ex arbore, etiam si semen non interueniat. Alternis igitur successione, alterum ex altero, sed vtrumque ex terra, nec ex ipsis terra. Prior igitur eorum parens terra. Sic & animalia, potest incertum esse, vtrum ex ipsis seminibus, an ipsa ex seminibus. Quodlibet tamen horum prius, ex terra certissimum est. Sicut autem in ipso grano inuisibiliter erant omnia simul quae per tempora in arborem surgerent: ita & ipse mundus cogitandus est, cum Deus simul omnia creauit, habuisse simul omnia quae in illo & cum illo facta sunt, quando factus est dies: non solum caelum cum sole & luna & sideribus, quorum species manet motu rotabili, & terra & abyssus, quae velut inconstantes motus patiuntur, atque inferius adiuncta partem alteram mundo conferunt, sed etiam illa quae aqua & terra produxit potentialiter atque casualiter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis ita nota sunt in eis operibus, quae Deus vsque nunc operatur.

CAPVT XIV.

Forma Reipublicae, eaque varia.

§. 1. De partibus, & membris quae Rempublicam constituunt, deque eius auctore Deo, & natura, iam nisi fallor, dictum est satis. Nunc de ipsa eius forma quaeque ab ea oriuntur, diuisionibus agendum est.

Forma, siue vt vocat Aristoteles, & Plato, τὸ εἶδος, species, seu ipsum τὸ ἦν, hoc est, Essentia est: quae ex hominibus ceterum constituit, qui Respublica dicitur. Est vero ea, ordo imperantium, atque parentium, harmonia quaedam atque anima; diuersa ingenia, functionesque; complectens, vinciens, vegetans. Hac cum vna atque eadem perseverat, manere eadem Reipublicae species dicitur; haec si mutetur, quamuis edificia, moenia, suburbia, atque adeo homines maneant iidem, non eadem tamen Respublica manere potest. Alia Romae instituta est Respublica cum pulso Tarquinio penes consules imperium fuit; alia, cum lege Regia in vnum iterum delapsa est potestas.

§. 2. Formam Reipublicae tripartitam facere est omnibus consuetum auctoribus. Est enim Monarchia, Aristocratia, Politia, seu populi regimen. Sumpta haec ex Platone: εἶς ἐκ ὁδοῦ, ὅτι ἅπλῃ πόλει, αὐτὸν τὴν πόλιν, αὐτὸν δὲ ἀποκρίνεται, αὐτὸν δὲ εἰς ὅσον ἔσται. Si tibi non constat, vrbium quasdam ab vno, quasdam a populo, quasdam ab optimatibus administrari. Magistrum imitatus Aristoteles l. 3. pol. c. 7. Necessse est imperare aut vnum, aut paucos, aut multos. Receptissima haec est particio. In qua tamen animaduertas licet, non esse diuisionem τὸ εἶδος, membrorum scilicet pari amplitudine differentium; ideoque Plato aliquando duas species constituit. Nam Rempublicam gubernat vel vnus, vel plures, si vnus Regnum, aut Monarchia nominatur: si plures, vel si pauci sunt, vel totus populus: ex quo duae species ἀρχὴς τῶν πολιτικῶν, imperij plurimum, consurgunt, optimatum, & populare regimen. Sed Platonē audiamus, de leg. l. 3. Sunt politiarum quasi matres duae, ex quibus qui alias omnes progenitis dixerit, recte dixerit. Et haec quidem appellari Monarchiam rectam, illam vero democratiam, seu populi regimen, & illius quidem summum Persarum natio, huius nos tenemus. Et lib. 5. ἐστὶν γὰρ δύο πολιτείας εἶδος. Sinto igitur duae politicae species. Idem in politico, septem administrationis formas constituit, Regiam, tyran-

Quid forma Reip.

Forma mutata resp. publica mutatur.

Triplex Reipub. forma.

Duae forma Septem for. ma.